

95 Commendant & barbaræ leges Judici juxtam cautelam, ne ad Sacramentum facile veniatur. Ex legibus Wisigothorum (a): Hoc enim justitiæ potius indagatio vera commendat, ut scriptura ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas se omnino suspendat. Inquiunt Capitularia Francorum (b): Volumus, ut Sacramenta cito non fiant, sed unusquisque Judex causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad Sacramenta veniant.

96 Quum enim per delationem juramenti fere quisque suæ causæ Judex, & arbiter constitui videatur, facile sunt nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini numinis usque ad superstitionem. Refert. L. 8. ff. de Cond. Inst.

97 Et vero juramentum suppletorium adversari videtur regulæ, quæ præcipit, ut actore plene non probante reus absolvatur. Hinc alibi placuit illud expungere: aut, si alibi superest, oportet ejus usum esse valde circumspectum. Quippe in causis minoris momenti admitti non potest, quia vilesceret juramentum, & in causis majoris momenti non vacat periculo frequentis perjurii.

* 98 In morali doctrina quid consultius, quam ex puriore traditione vetera divisarum potestatum argumenta, & exempla Clero prælegere? Inquit Osius (c): Tibi Deus imperium commisit, nobis (Episcopis) quæ sunt Ecclesiæ, concedidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita, & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. En sententiam S. Gelasii (d): Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur. Auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas &c. Nosti enim Fili clementissime, quod licet præsideas generi humano dignitate, rerum tamen Præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis. Juxta Symmachum (e); Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imperator, à Pontifice, quatenus quisque fidelis, baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, penitentiam rogas. Ex sententia S. Gregorii II. (f): Quemadmodum Pontifex introspectendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic nec Imperator in Eccle-

(a) L. L. Wisigoth. lib. 2. cap. 22.

(c) Osius epist. ad Constant.

(e) Symm. ad Anast.

(b) Cap. lib. 7. cap. 97.

(d) S. Gelas. epist. ad Anast. Imp.

(f) Greg. II. epist. Leon. Isaur.

lesias introspectendi, & electiones in Clero peragendi. Vides Imperator Pontificum, & Imperatorum discrimen! si quisquam te offenderit, domum ejus publicas, & spoliis, solam illi vitam relinquens, tandemque etiam illum vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe à Liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis suis amandas. Pontifices non ita; sed, ubi peccavit quis, & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis loco, Evangelium, & crucem cervicibus ejus circumponunt, eumque, tanquam in carcerem, in Secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesiæ Diaconia, & in Catechumena ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigiliis, & laudationem ori ejus indicunt: cumque probe castigant, tunc pretiosum illi corpus Domini impertiunt, & sancto illum sanguine potant; & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, si ad Dominum purum, & insontem transmittunt. Quid præclarius sententia S. Nicolai (a)? Cum ad verum ventum est Regem, & Pontificem, ultra sibi Imperator nec jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit. Quoniam idem Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, & distinctis dignitatibus officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus egerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uteretur. Quatenus actio spiritualis carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime negotiis se secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.

T I T. IX.

De Instructione Causarum Criminalium.

C A P U T I.

De Accusationibus, & Informationibus.

IN multis sæculis in discussione, vel inquisitione criminum, eorumque punitione non intervenerunt formalitates juris civilis, sed hæc primum circa sæculum XII. in forum ecclesiasticum irrepserunt. Sicut enim tum causæ civiles ex legum præscripto in judiciis ecclesiasticis instrui, & decidi cœperunt, ita & causæ criminales in foro ecclesi-

(a) Nicol. I. ep. ad Mich. Imp.

siastico secundum formam fori civili instrui cœperunt.

2 En ex Fleurianis (a) institutionibus synopsis veteris processus pœnitentialis! Quæcunque veteres de forma iudiciorum ecclesiasticorum tradunt, ad condemnationem eorum, qui vel pravas doctrinas disseminant, vel morum turpitudine deformant Ecclesiam, hoc est, ad crimina pertinent. Nam in civilibus Ecclesia cognovit tantum per modum arbitrii. Sed omni tempore iis, qui seipsos accusarunt, salubrem pœnitentiam peccatorum injungendi, & eos, qui peccata negantes aliunde convicti sunt, castigandi jus habuit. Solemnia autem in his exularunt, nisi quæ absolutæ essent necessaria, ne sine causæ cognitione quis condemnatus videretur. Imprimis Sacræ Scripturæ præcepta observabantur, ne qua temere, præsertim adversus Presbyterum, & Episcopum, pro quibus tanta circumspectione electis militat præsumptio, reciperetur accusatio, nec facile crederetur, nisi quod duobus, vel tribus testibus probatum; ut in falsos testes statueretur jus talionis; ut res, ad exemplum terroris, publice increparentur. Neque his regulis rem omnem absolvi putarunt, sed præterea studiose indagarunt, qui, qualesque essent accusatores, accusati, testes, quibus moribus, qua fama, quo animo, ita tamen, ut non inciderent in acceptionem personarum, divinis oraculis toties damnatam, quippe persuasi, fore, ut, quo iudicio judicent, ipsi aliquando judicarentur. Tam sanctam normam sibi in iudicando præstituerant primi Episcopi, assiduo memores, non Rhadamanthos se esse, sed Pastores.

3 Ordo iudiciarius, quem in actis Conciliorum superstitionibus veluti Ephesini, & Chalcedonensis deprehendimus, is erat. Querela libello exhibita accusatus ter, quaterque citatus, ut defensionis locus esset: si comparere detrectaret, contumacia, quæ crimen accerbissima pœna dignum reputabatur, depositione, vel excommunicatione vindicabatur. Comparens interrogatus audiebatur pro se dicturus; ipseque vicissim testes audiebat, instrumenta videbat; denique Episcopus sententiam pronuntiabat. Notarii, hoc est, Diaconi, vel Lectores, per sigla scribere prompti, cuncta, quæ in iudicio fiebant, dicebantur tum à Iudice tum à partibus, distincte ipsorum verbis, ne interruptionibus quidem, & exclamationibus omissis, consignabant, quibus instrumenta prælecta inserebantur. Atque acta asservabantur ab Episcopo,

(a) Fleur. J. E. p. 4. cap. 15.

ut de integritate iudiciorum ecclesiasticorum constaret ad postereros. Hæc iudiciorum ecclesiasticorum facies antiqua.

4 Forum conscientiae internum, quo pœnitentiae, peccata confitentibus impositæ, absolutiones sacramentales, & indulgentiæ canonicæ referebantur, semper distinctum fuit à foro externo iustitiæ, in quo de criminibus, & de pœnis agebatur. Sensim tamen studium juris civilis solemnia formularum invexit in forum ecclesiasticum. Si querelæ illæ, scripto oblatae, de quibus Canones loquebantur, haberi cœperunt pro accusatione formali, & inscriptione in crimen, præsertim in antiquis Decretalibus. c. 1. 3. & 4. VI. q. 8.

5 His convenienter Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. tria genera processus distinxit; utpote accusatorium, denuntiatorium, & inquisitorium: Qui accusat, præsens accusationem scripto exhibet, inscribitque in crimen, quo semet obligat ad talionem, si deficit. Si probat, accusatus ex præscripto Canonum pro natura criminis depositione, vel degradatione plectitur. Hic processus ad ammissum juris Romani effectus videtur, præsertim quum in illis Decretalibus solis ejus sit præsidium. c. 24. de Accusat.

6 Qui denuntiat, quem prius amica admonitione corripuit, ad inscriptionem in crimen non tenetur. Indicat enim Iudici commissum crimen, nec publicam vindictam, sed accusati emendationem intendit: unde mitior pœna præter Canonum Decreta dictari potest. c. 16. de Accus. Præceptum Evangelicum de correctione fraterna latissime patet, quippe à veteribus etiam Iudici commendatum. Ipsæ spuriae Decretales, quæ accusationum, rigorem in foro ecclesiastico pepererunt, admonitionem amicam accusationi præmitti volunt.

7 Nostris moribus fere solus processus Inquisitorius superest, quem Iudex ipse sine accusatore, vel denuntiatore, sola diffamatione, hoc est, rumore publico motus, suscipit. Hic procedendi modus inde à Concilio Lateranensi tritissimus est etiam in Curiis sæcularibus, quæ processum Curiarum ecclesiasticarum tum in civilibus, tum in criminalibus adoptarunt. Hinc nata sunt examina nostra, seu informationes, quæ in criminalibus vocantur, & inquisitio ad diffamationem recidit ad id, quod appellamus informationem ex officio, quando Iudex de crimine in flagranti, coram, illico, testes audit, quod raro hodie contingit.

8 Ab his tribus generibus distinguitur quartus modus crimen proponendi specie exceptionis, veluti recriminatio contra accusatorem, vel rejectio testis. Quo casu nec inscriptione in crimen, nec alia solemnitate opus, quum non

accusandi, sed defendendi animo crimen proponatur. Idem dicendum, si in processu civili crimen obiter objicitur, ne pars adversa promoveatur ad beneficium. c. 16. de Accus. Ast hæc distinctiones in Francia exoleverunt, ubi Curiarum ecclesiasticarum processus criminalis ad criminales processus sæcularium tribunalium, & ad constitutionem ann. 1670. proditam, quoad ejus per diversitatem causarum, & personarum fieri potest, conformatur.

9 Primus actus memorabilis est informatio, quam Judex plerumque à privato homine, vel à Promotore (Fiscali) imploratus suscipit. Solus Promotor accusare, & postulare potest, ut reus puniatur, ut ad frugem, ad scandalique reparationem adigatur, ut Ecclesia indigno ministro purgetur. Privati tantummodo secreto denuntiant crimen, damnumque datum, & lucrum cessans civili actione petunt; ubi tamen opus est, ut accusatus sit Clericus. Si Laicus esset, & Officialis de interesse civili pronuntiaret; Judices regii *abusem* ingeminarent.

10 Promotor, quia causa officii crimina publica persequitur, haud ad inscriptionem tenetur, aut ad talionem, nec in expensas damnatur, etsi causa ceciderit (a). Sed, si nec delictum, nec famam, nec vehementem aliquam præsumptionem probaverit, sed calumniose, & dolose aliquem in jus vocasse reperietur; si inquisitum, seu accusatum ante sententiam publice diffamaverit, aliave præstiterit, ex quibus animus depravatus elici possit, in expensas, & damna, & interesse, actionemque injuriarum condemnandus venit. Facit eo Ordinatio Mechliniensis Provinciæ.

11 Oportet vero, Promotorem esse stipatum Decreto Judicis, ut ad informationem procedat. Et quidem, si de crimine commisso constet, sed auctor criminis omnino ignoretur, generali informationi locus est, ut per examen testium, qui de negotio informati censentur, aut per alia, quæ conducere viderentur, auctor criminis explorari queat.

12 Quantum ad specialem inquisitionem contra personam particularem, & individuum præscriptum est, ut saltem quædam indicia, quæ Judici illam personam de crimine commisso reddant merito suspectam, præcedant. Sic enim praxis publicæ diffamationi, & alia indicia substituit, quæ clamorosæ insinuationi æquivalent.

13 Processus inquisitionis hodie utroque foro ordinarius est. Hinc & denuntiatio, quæ sæpius admittitur, nihil aliud

(a) Ordin. Mechlin. tit. II. art. 60.

operatur, quam quod loco diffamationis, vel querelæ vim aperiat ad inquirendum ex officio. Commendatur inde Judici, ut, antequam denuntiationem suscipiat, denuntiantis qualitatem, ingenium, mores, aliasque conditiones tum personarum, tum rerum diligenter perscrutetur, necui temere molestiam, aut expensas suscitetur. Si denuntiator falso, aut temere obrepserit, damnandus est in expensas, & interesse. Ideo, reperta calumnia, & Fiscalis Procurator cogitur nominare delatorem propter expensas, aliaque damna, & interesse parti resarcienda. Ergo non facile debet Procurator, vel Promotor instigatorem occultum audire, nisi prius privata scriptura subscribat, veramque esse affirmet accusationem.

14 Ad instantiam Promotoris inde Judex testibus diem assignat, sub pœna mulctarum ad eleemosynas, aut carceris per implorationem brachii sæcularis. Si comparent, ad jurandum adigit, & depositiones transcribit, informationemque Promotori tradit, ut, prout reus gravatus est, conclusiones suas inde effigiat. Hæc informatio cum præparatoria tantum sit utpote, ut Judex sciat, num sint sufficientia indicia ad actionem criminalem instituendam, aut ad notitiam auctoris capiendam, & institui potest adversus absentem, nulla præcedente contumacia, examinanturque testes parte haud citata. Informatio enim debet capi secretissime, tum, ne innocens, si sit, immature diffametur, tum ne, si quis reus sit, fuga præcipiti elabi possit.

15 Paratis conclusionibus Promotor in causis levioris momenti postulat, ut accusatus compareat, quia audiendus est, quo ipso processus in ordinarium desinit. In causa graviore accusatum vadatur, velprehendendum postulat, & Judex decernit. Judices ecclesiastici inde ab aliquot sæculis sunt in possessione carceris. c. 13. XVII. q. 4.

16 Juxta leges civiles de custodia reorum Proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet. Refert. L. 1. de Cust. & exhibit. reor.

17 Exemplo hujus discretionis prescripsit Bonifacius: Clericos, veluti honorabiles personas, non facile esse carceri mancipandos, nisi excessus enormitas, vel alia causa rationalis; v. g. periculum fugæ eos suaserit detinendos. Refert. cap. 15. de Sent. Excommun. in 6.

Cap. e.
De capt. &
citat. accu-
sat.

18 En exempla: inquit Concilium Tridentinum (a): In criminibus ex incontinentia provenientius — & in atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere.

19 In Gallia Iudices ecclesiastici propria auctoritate carcerem habere non possunt (b), nisi in ipsorum Prætoris, vel domibus Episcopalis. Extra prætorium, aut in transferendis præhensis adhibendum est brachium sæculare; cui finis olim à Iudice sæculari obtinendum erat mandatum, quod *pareatis* vocabatur, quo post edictum anni 1695. non amplius opus est.

20 Si post interrogationes captivi causam levioris esse momenti deprehendit, vel captivum de fuga nihil suspectum credit, aut non satis de delicto constat, aut aliæ circumstantiæ suffragantur, Iudex discernere potest, ut dimittatur sub cautione, vel fidejussoria, vel juratoria de iudicio sisti. Interdum Iudex accusatum militibus custodiendum tradit, aut alteri tuto loco committit, donec diligentius inquiri possit. Interea processus continuatur.

21 Quantum ad carcerem meminisse oportet, eum non ad poenam, sed ad custodiam esse institutum. Præcipiunt Leges Romanæ, captivis à custodibus humanitatem esse adhibendam. Eo spectant & recentiora edicta, quorum quædam præcipiunt, causas captivorum cito terminari; alia volunt, ab inferioribus Iudicibus nomina captivorum quater per annum ad superiores Iudices transmitti; nonnulla statuunt, ut per singulos menses visitentur ab Officiariis, & Iudicibus captivi, interrogandi, tum super iis, quæ ad causæ expeditionem conducere possunt, tum & semper his, quæ ad vitæ necessitatem subministrari oportet. Iudices ergo sint in assumendis Custodibus, seu Commentariensibus vigilantes, & prudentes, ne quibusvis citra delectum hoc officium committant, quin potius eligant viros bonos, cordatos, humanos, mites, misericordes, benignos, affabiles, pios, bonæ conscientiæ, timentes Deum, qui suis captivis diligenter necessaria subministrent, eos subinde consolentur, & ut pii Patres familias in quibusvis necessitatibus juvamen, & solatium præbeant afflictis. Nihil piaculi, nihil spurciæ, nihil exactio- nis, nihil imposturæ, nihil fraudis, nihil criminis, nihil de- ni-

(a) Trid. sess. 25. cap. 6. (b) Fleur. §. 1. in fin. cit. loc.

nique maleficii, aut per se, aut per alios in suos carceres irrepere sinant.

22 Veteres Christiani Principes præcipue Episcopis tam paternam sollicitudinem in captivos commendarunt. In appendice Codicis Theodosiani hæc lex Honorii radiat: *Eam quoque Sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, consoletur insontes; & cum singulorum causas cognoverit, interventiones suas apud Iudicem competentem suo jure moderetur.* Lex Justiniani eo argumento superest. L. 22. C. de Episc. Audient.

23 Recentius nemo illustrius, quam S. Carolus hanc Pastorem sollicitudinem Episcopis insinuavit. In Concilio Mediolanensi III. S. Archiepiscopus monuit (a), ut Episcopus non solum per certos homines — sed etiam ipse aliquando carcerem in anno visitet; in eoque inclusos paterna charitate consoletur, pieque in Domino adhortetur. Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad justum patrocinium non desit quidquam, tum imprimis non spiritualis libri lectio, non crebræ religiosorum hominum cohortationes, tum ne aliquid ad animæ salutem.

24 Concilium Toletanum ann. 1565. præcipit (b), ut Episcopi saltem quodlibet mense carceres, quos ad reorum custodiam opportunos habere debent, ipsosque reos, illis detentos, per seipsum, si præsentem in eodem loco sint, visitare teneantur. Quam & hodie optanda esset Pastorum in visitandis carceribus, & captivis hæc cura, quia plerumque misera, & diuturna est incarcerationum, omni subsidio spirituali temporalique destitutorum, conditio, ut, antequam nocentes declarentur, morte durius sæpe luant.

25 Accusatus, captus, vel vadatus tenetur isepmet comparere, quia in causis criminalibus non admittitur Procurator, nisi forte ad excusandam absentiam ex morbo, vel alio, legitimo impedimento, quo detinetur, ut in iudicio comparere non possit.

26 Præcipit Ordinatio Galliæ de ann. 1670. ut accusatus, qui pro crimine in carcere detinetur, intra 24. horas suæ captivitatis interrogetur. Promotoris, veluti accusatoris est, articulos interrogatorios proponere. Hinc secundum Ordinem Provinciæ Mechliniensis (c), si Promotor per incarcerationem cæperit, statim vel ad minimum infra triduum libel-

(a) Concil. Mediol. III. tit. de iis quæ ad Episcop. for. pertinet.

(b) Conc. Tol. act. 2. decret. 13. (c) Ord. Mechlin. tit. 11. cap. 55.